



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 132. Jacobi juramentum a Sultano petatum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Secul. XV. enim jam vicina, quæ hujus Insulæ con-  
A.C. 1459. tinenti adjacent, loca Sultani imperio  
 subjecta essent, certe hic, qui ipse hanc  
 Insulam imperio suo subjici tam ardentem  
 exoptabat, eandem suis armis semel oc-  
 cupatam, facili adeo negotio æmulo suo  
 non cessisset.

## §. CXXXII.

*Jacobi Juramentum a Sultano  
 petitum.*

*Æn. Sylv.*  
*ibid. c. 97.*  
*Comment.*  
*Pii II. lib. 7.*

Placebant Sultano conditiones per Ma-  
 hometis Legatos propositæ: quocir-  
 ca Jacobum in Regno confirmatum cum  
 magna militum manu in Cyprum remisit,  
 prius tamen ab eo sequens juramentum  
 præstari petiit. *Per Deum magnum, &*  
*altum, formatorem cæli & terræ, & omni-*  
*um, quæ in eis sunt, & per sancta hæc*  
*Evangelia, per S. Joannem Baptistam, atque*  
*omnes Sanctos, & per fidem Christianam pro-*  
*mitto, & juro, quod omnia, quæ novero,*  
*aperta erunt Domino meo altissimo Sultano*  
*Ægypti, & totius Arabiæ Imperatori, cu-*  
*jus Regnum Deus fortificet; ero amicus*  
*amicorum suorum, & inimicus inimicorum.*  
*Nihil eum celabo; neque piratas in Regno*  
*meo patiar: Ægyptios, qui in regno meo*  
*serviunt, emancipabo, & libertate donabo. Auri*  
*quinque millia nummum in Calendis Septem-*  
*bris aut Octobris tributi nomine in templis*  
*altis-*

altissimis Jerusalem, & Lamech singulis annis offeram. Colosseos prohibebo. ne piratis arma ministrent. Quod si aliquod horum neglexerim, ero apostata, & mandatorum Sancti Evangelii, Christianæque fidei prævaricator. Dicam Evangelium falsum esse, negabo Christum vivere, & Matrem ejus Mariam Virginem fuisse: super fonte baptismatis camelum interficiam: & Altaris Presbyteris maledicam: divinitatem negabo, & sanctorum Patrum maledictiones omnes in me recipiam. Hoc juramentum ex Arabica in latinam linguam versum ad Pium II. Papam delatum est.

Sæcul. XV.  
A.C. 1459.

§. CXXXIII.

*Exscensio in Neapolis Regnum  
a Calabriæ Duce facta.*

Hoc adhucdum anno summus Pontifex ea, quæ sibi a Renato Andegavensi potissimum metuerat, & prudenti sua perspicacia præcavere conabatur, experi debuit. Ejusdem enim filius Calabriæ Dux, qui Genuensium regimiaeungebatur, inde cum valida classe solvit, atque in Neapolis Regnum exscensionem fecit, ubi ferme tota Nobilium corona Andegavensis partes palam profitebatur, pluresque civitates eidem adhærebant. Hanc expeditionem Duci, cui Johannes nomen erat, persuasit Antonius Cen-

Corius  
part. 6.  
Collen lib. 6.  
Nebrius. l. 7.  
Toliat. l. 11.

Cen-